

**Latein****Nuntii Latini mensis Junii 2010**

Lateinischer Monatsrückblick

**Christian Wulff novus praesidens**

Bundeskanzlerin Angela Merkel (CDU) überreicht am 30. Juni 2010 dem neu gewählten Bundespräsidenten Christian Wulff (CDU) Blumen in Berlin.

A Conventu Foederali Christian Wulff praesidens Germaniae novus electus est. Qui Democrata Christianus adhuc minister primarius Saxoniae Inferioris erat. Wulff unius et quinquaginta annorum natu minor est quam omnes, qui ante eum hoc munere functi sunt. Succedit Horst Köhler praesidenti, qui inopinato a munere recesserat

**McAllister succedit Wulff**

David McAllister succedit Christian Wulff praeses ministrorum civitatis Saxoniae Inferioris. Qui iuris consultus est filius militis Britannici e Scotia orti et magistrae Germanae. McAllister, qui undequadragesima annos natus est, minimus natu omnium praesidum ministrorum est.

**Conclusio Gazensis remissa**

Moderatores Israeliae constituerunt, ut conclusio Palaestinensium Gazae paululum remitteretur. Qua re adiumenta facilius ad incolas in Gaza interclusos perveniant. Non semel milites Israeliani naves auxilias aggressi aliquot homines necaverant.

**Nova constitutio Kirgisiae**

Nova constitutio Kirgisiae plebiscito magna frequentia habito probata est, qua iura parlamenti augentur. Antecesserant tumultus ethnici, in quibus duo fere milia hominum interfecti sunt et plus septuaginta milia incolarum Usbekorum in Usbekistaniam confugerunt. Qui quidem iam revertisse in Kirgisiā feruntur

**Primus ministrorum veniam petivit**

David Cameron primus ministrorum Britanniae veniam petivit, quod milites Britannici die Bloody Sunday nominato in Hibernia Septentrionali tela miserant in homines catholica fide. Illo die abhinc duodequadragesima annis quattuordecim homines imbelles necati erant. Quod nunc collegium virorum, quibus quae illo die acciderant cognoscenda erant, militibus vitio dederunt.


**Kilienses triumphant**

Lusores societatis manufollicae Kiliensis sextum in serie campionatum Germaniae adepti sunt. Paulo ante etiam primum locum campionum manufollicorum Europae assecuti erant. In toto iam campionatus sextus decimus Kiliensium est

**Notabilia:****Vestimenta faciunt Romanos**

Friburgi Brigoviae in museo archaeologico usque in mensem Octobrem expositione demonstratur, quibus vestibus cives Romani eorumque uxores et quibus provinciales utebantur. Etiam cognosci potest, quem vestitum quo tempore Romani malebant. Sunt enim simulacra hominum magnitudine, quae sunt tales ad modos vestita.

Plura in inerrete sub:

[Archäologisches Museum Colombischlössle](#)  in Freiburg

[Nuntii Latini mensis Juni 2010, \[3:34\]](#) 

[Lateinischer Monatsrückblick Juni 2010](#) 

Deutsche Version

**Proximi nuntii Kalendis Septembribus divulgabuntur. Exoptamus, ut amicis linguae Latinae tempus aestivum sit optimum.**

Quelle: <http://www.radiobremen.de/nachrichten/latein/startseite104.html>

1. Juli 2010